

## PRIMA PARS CAPITIS.

## Exilium Isaaci in Gerar.

- 1 *Facta est autem fames in terra prater famem priorem, qua fuerat in diebus Abraham: & perrexit Isaac ad Abimelech Regem Pelisthim in Gerar.*
- 2 *Visus enim fuerat ei Iehoua, & dixerat; ne descendas in Aegyptum, sed habita in terra, quam dicam tibi.*
- 3 *Habita igitur in terra hac: & ero tecum, & benedicam tibi, quoniam tibi & semini tuo dabo omnes regiones istas, & firmabo iuramentum, quod iuravi Abrahamo patri tuo.*
- 4 *Et multiplicabo semen tuum, sicut stellas caelorum, dediſq; semini tuo vniuersas terras istas, & benedicent sibi in semine tuo omnes gentes terrae.*
- 5 *Eo quod audiuit Abraham vocem meam, & custodiuit custodiam meam, praecepta mea, statuta mea, & leges meas.*
- 6 *Habitauit ergo Isaac in Gerar.*
- 7 *Interrogauerunt autem viri loci illius de vxore eius: & dixit, soror mea est ipsa: Timuit enim dicere vxor mea est, cogitans apud se, ne forte interficiant me viri loci istius propter Rebeccam. Erat enim aspectu pulchra.*
- 8 *Fuit autem, cum aliquamdiu illic commoratus esset, prospexit Abimelech rex Pelisthim ex fenestra, & vidit, & ecce Isaac ludebat cum vxore sua.*
- 9 *Vocauit ergo Abimelech Isaacum, & dixit; nonne ecce vxor tua hac? & quomodo dixisti: soror mea ipsa est? Dixitq; ad eum Isaac; quia dixi, ne forte moriar propter eam.*
- 10 *Dixit vero Abimelech: quare fecisti hoc nobis? vt parum abfuit, quin dormiret vnus ex populo cum vxore tua: & adduxisses super nos peccatum.*
- 11 *Et edixit Abimelech vniuerso populo dicendo; si quis tetigerit virum istum & vxorem eius, morte morietur.*

## EXPLANATIO.

Quaest. 75.  
sup. Genes.

**I.** **F**VIT AVTEM FAMES IN TERRA. Augustinus non sine causa quaestionem mouet, quando haec acciderint: post venditamne ab Esauo primogenituram: an prius, vt hic per recapitulationem narrentur; ad quam sententiam magis inclinat; quia necesse fuisset Abimelechum esse minimum centum annorum. Et ita est sane; imo 140. annorum. Nam haec videntur accidisse circa 40. annum aetatis Esau, vt est ver. 34. Ad eum vero annum a nato Isaaco, quando illud contigit, sunt 140. anni. Puto igitur ordinem historiae non temere inuertendum. Aetas Abimelechi non me mouet. Videtur non esse prior ille Abimelech Abrahami confederatus, sed eius successor, filius vel

**A** nepos, quia Abimelech nomen fuit commune regum Palaestinarum, vt Pharaon Aegyptiorum; alioqui certe exprobrasset Isaaco exemplum patris; nec facile contra iusiurandum Abrahamo praestitum passus fuisset puteos Isaaco eripi. De Pichol principe idem sentio. Vix potuit esse idem qui supra 21. ver. 22. Nam fuisset tum centenarius maior. Potuit esse filius patri cognomius, vt quandoque filij parentibus succedunt. Si tamen idem fuit, necesse est iuuenem circiter 20. annorum fuisse tempore Abrahami. Tam iuuenes vero non solent exercitiis praefici. Fames fuit in terra meridiana, vbi habitabat Isaac prope Bersabam, vt liquet ex cap. 24. & cap. 25. 11. Est fames vnus ex quatuor flagellis Dei, quae